



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 3. Becani liber Pontificia Censura perstrictus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. ponebant, quæ etiam se desuper cum
A. C. 1613. Consiliariis suis deliberaturam, & per
 Cancellarium eis suam mentem significaturam respondit: Percepto Reginæ responso Deputati die duodecima Januarii accesserunt Cancellarium, qui eis Reginæ nomine significabat, quod ipsa antea nonnisi unum alterumve hujus libri exemplar in Galliis exstitisse rata, novum hunc partum potius silentio opprimi, quam censura notari decrevisset; cum vero noxium hunc librum in omnium ferme manibus versari comperisset, Facultati permittendum censeret, ut de eo libro pro sua integritate ac Religione, quæ videbuntur, statueret, de cetero autem plurimum doleret, quod Theologicus Ordo hodie in varia partium studia scinderetur: ad hæc reposuit Fayetus, hæc dissidia, si quæ essent, nonnisi ex novis, absque ejusmodi doctrinis oriri.

§. III.

Becani liber Pontificia censura perstrictus.

*Abrege
 Chronol.
 tom. 3.*

Die prima Februarii, cum Sorbonæ Doctores jam in eo essent, ut Becani librum examini subjicerent, Facultatis Decanus hunc in modum exorsus est: *In pertractandis & gubernandis*

dis rerum divinarum negotiis una est potestas Ecclesiastica, cujus Monarcha post Christum summus Pontifex Romanus existit, cui tanquam primario Duci recta præcipienti & judicanti obediendum est, cujusve auctoritatem & potestatem, qui detrectat, & ejus leges, sancita, atque decreta abrogare cupit, anathema sit.

Sæc. XVII.
A. C. 1613.

His præmissis retulit, se unacum P. Gerardo, qui Reginæ a Confessionibus erat, Joanne Filelaco & Fayeto Cancellarium adiisse, atque ab eo intellexisse, quod Papa Reginæ, Regi, & Regno adversus pestilentissimum Becani librum de opportuno providisset remedio, ac præfati libri censuram, quam Papæ Nuntius procuraverat, transmississet, qua Regi, & Reginæ plene satisfactum esset, nilque reliquum foret, nisi ut hujus censuræ exemplar a Nuntio Apostolico recognitum in comitiis recitaretur, postea in Facultatis acta referendum: Igitur Syndicus ex Cancellarii mandato Pontificis censuram die tertia Januarii Romæ pronuntiatam publice prælegit his verbis conceptam: *Cum nuper in lucem editus fuerit libellus sermone latino conscriptus, cui titulus: Controversia &c. in quo nonnulla falsa, temeraria, scandalosa, & seditiosa respectively continentur. Hac re ad S. D. N. divina providentia Paulum V. delata, idem Sanctissimus*

Etissimus

Sæc. XVII. A. C. 1613. *Etissimus præhabita dicti libelli matura discussione, ægre ferens, pro pastorali sollicitudine sua, atque vigilantia, ejusmodi libros, ex quibus grave aliquod scandalum aliquando oriri posset, a viris Catholicis in lucem emitti, præfatum libellum omnino prohiberi mandavit, donec corrigatur. Nos igitur Paulus Sfondratus Episcopus Albanensis sanctæ Cæcilie, Robertus Bellarminus Sanctæ Mariæ in via, Joannes Garzia Mellinus Sanctorum quatuor, Fabricius Verallus Sancti Augustini, Frater Augustinus Galaminus Arce Cæli Presbyter, necnon Aloysius Capponus Sanctæ Agathæ Diaconus S. R. E. nuncupati Cardinales a S. D. N. Paulo providentia Papa V. Sanctæque Sede Apostolica super librorum permissione, prohibitione, expurgatione, & impressione in universa Republica Christiana specialiter deputati prædictum libellum præfati decreto juxta S. D. N. mandatum quocunque idiomate, ubicunque impressum prohibemus, & in secunda classe Indicis reponendum censemus, donec correctione approbata, juxta regulas Indicis denuo imprimatur, decernentes, quod nullus deinceps cujusvis gradus & conditionis sub pænis in Sacro Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohibitorum contentis, audeat imprimere, aut imprimi curare, vel quomodocunque apud se retinere, aut legere præfatum libellum, & sub eisdem pænis qui-*

quicumque nunc illum habent, vel habuerint, **Sæc. XVII.**
 in futurum locorum Ordinariis, seu Inqui- **A. C. 1613.**
 sitoribus statim a præsentis decreti notitia
 exhibere teneantur.

Nondum tamen hæc caussa plene decisa fuit; cum enim Curix Patres comperissent, quod Becanus, qui tum adhuc in vivis erat, ejusque fautores novam proscripti hujus libri editionem, a Societatis Theologis recognitam, auctam, & a P. Henrico Schereno Provinciali Rhenano approbatam adornarint, nihil tamen eorum, quæ censura Romana perstrinxisset, in nova hac editione immutarint, sed idem omnino venenum, quod in prima, etiam in hac secunda editione contineatur, hinc die decima sexta Aprilis Servinus Regius, ut vocant, *Procurator* adversus temerarium hoc facinus acriter declamabat, declarans, hanc esse iniquissimam illusionem Summo Pontifici, & universæ Ecclesiæ Catholicæ irrogatam, eamque vitæ, Regumque auctoritati, ac totius Christianæ Reipublicæ quieti nocivam esse. Eapropter Curix Senatores hunc librum infami rogo destinabant.

Hoc fatum, tempestatemque Becani libro impendentem haud ignorabat Claudius Aquaviva sagacissimus Societatis Moderator, qui tamen haud
 am-

Sæc. XVII. A. C. 1613. amplius Romanæ censuræ stigma, aut Parisini Senatus sententiam præpedire poterat: ne autem perniciosam Becani doctrinam suo assensu, aut Societatis silentio approbare videretur, ipse uno die prius, quam censura Romana promulgaretur, secunda Januarii Romæ ad Patrem Christophorum Baltazarem ejusdem Societatis Provinciam in Provincia Franciæ super præfati libri doctrina has dedit literas: *Cum primum huc liber ille pervenit, idque in eo deprehensum est, quod aliter dictum, aut omnino prætermissum oportuit, Censuræ notat illuc remisimus, ut juxta eas liber emendaretur: atque hoc solum nobis superfluit remedium, unde speramus, Patrem illum cautiorem futurum in posterum, Et instrui posse eos, qui turbas moliuntur, resque nostras aliter, ac par est, interpretantur, non ideo redarguendam Societatem, aut universo Corpori adscribendum, quod unus aliquis quovis modo peccaverit; quando id non modo Societas non admittit, sed etiam manifeste improbat, atque emendare studet, ut a nobis factum est circa opinionem Marianæ de Tyrannicidio.*

Eodem die idem Aquaviva Societatis Præpositus in literis ad P. Petrum Cottonum scriptis inter alia sic se declarabat. *Errore factum est, quod vehementer doluimus, ut huc Liber ille Becani non*
mitte-

mitteretur recognoscendus. Quod ergo su-
 persuit remedii, minime negleximus; quam-
 primum enim hic Liber comparuit, ea no-
 tanda curavimus, atque ad eundem Patrem
 remittenda, quæ vel deleri omnino, vel cor-
 rigi oportere deprehensa sunt, ut, quoad
 licebit, emendetur, Constatque, unius er-
 rorem non esse toti Societati adscribendum,
 quando eum Societas non adprobat. Dein-
 ceptem autem speramus fore, ut ille Pater sit
 cautior in scribendo, & præcaveantur om-
 nes ejusmodi offensiones diligentius.

Sæc. XVII.
 A. C. 1613.

Præterea idem Generalis non mo-
 do libros a Societatis suæ Patribus e-
 dendos deinceps Romam pro censura
 mitti præcepit, sed insuper Germaniæ
 Superioris Provinciali ademit facultatem,
 qua illius Provinciæ Sacerdotes
 frequentius pro Societate, vel cujus-
 dam Socii defensione apologias edide-
 rant, quin eas prius recognoscendas
 Romam mitterent. Verum præfatus
 P. Provincialis nec ejusmodi apologias
 conscribendi facultatem sibi adimi, nec
 eas Romanæ censuræ submitti patie-
 batur, hæc Generali suo rescribens:

*Si quid in præteritis nostris Apologiis fuit
 forte ab aliquo desideratum, illud debuisse,
 meo iudicio, nobis merito prius significari,
 quam revocaretur ea facultas, quæ ante-
 hac cum aliis Provinciis Septentrionalibus
 nobis communis fuit. Et venire præterea
 etiam*

*Scripta au-
 thentica Soc.
 Prov. Germ.
 super. rubric.
 Rationes pro
 scribendis in
 his partibus
 apologiis, &
 quare non
 possint, nec
 debeant mitti
 Romam cen-
 sendæ.*

Sæc. XVII. A. C. 1613. etiam debet in mentem, exteris potissimum Nationibus; quod nostri hic scribant pro Germania, & nostrorum, qui hic sunt, defensione, ubi fere omni genere calumniarum non impetuntur tantum, sed pene etiam obruuntur. Et experientia docet, nobis ejusmodi Apologias, tam apud amicos, quam apud adversarios, multum hactenus profuisse, & adhuc prodesse, etiamsi in illis Italus forte, vel Hispanus aliquid desiderare posset; hic enim non solum locum habet, sed sæpe pene necessarium est illud Sapiientis: Responde stulto secundum stultitiam suam.

Quod alii e nostris in aliis Provinciis Germanice ad famosos contra nos libellos taceant, propterea fortasse fit, & factum est hactenus, quod non habeant, qui illos commode refutare velit ac possit. Et jam in ultima Apologia contra Lermæum debuimus, ut apparet, pluribus defendere P. Costerum in causa quadam, quæ inter ipsum & Calvinistam Hollandum Georgium Doussam intercessit, propter Epistolam quamdam Meletii Patriarchæ Constantinopolitani.

Constat denique nostros ubique in Germania de ejusmodi Apologiis sibi gratulari, easque avide expectare, & cupidissime legere. Imo vero Colonia non ita pridem scripserunt, omnino e re Societatis futurum, si plures Apologiæ pro nostra Societate edantur, occasione eorum, quæ contra nos sparguntur,

guntur ab aliis. Ita enim futurum, ut In- Sæc. XVII.
stitutum nostrum pluribus innotescat, qui A. C. 1613.
bus jam omnino pene ignotum est, non so-
lum inter Hæreticos, sed etiam inter Ca-
tholicos.

P. Gretserus ita natura & ingenio com-
paratus est, ut si sciat sibi Romanorum ju-
diciū in ejusmodi suis lucubrationibus sub-
eundum, nunquam facile scripturus sit ali-
quid; idque non omnino immerito, quia
sæpe a Romanis forte aliquid rejicietur, vel
minus necessarium judicabitur, quod tamen
judicio nostrorum, qui hic sunt, esset om-
nino operæ pretium, ut prodiret.

§. IV.

Friderici V. Palatini Electoris &
Wolfgangi Guilielmi Comitis
Palatini nuptiæ.

Auspiciationis in Europa famæ binas *Thoiras hist.*
hic annus nuptias exhibuit, prio- *d' Angl. l. 18.*
res erant Friderici V. Palatini Comitis, *Adlzreiter*
& Electoris cum Elifabetha Jacobi l. *annal. Boic.*
Angliæ Regis filia, decimo quarto Fe- *tom. 3. p. 31.*
bruarii die Londini non sine immensis *Baldwin.*
sumptibus celebratæ. Posteriores, sed *chron. mo-*
Catholicorum lætitia celebriores nu- *rale p. 1012.*
ptias Monachii undecima Novembris
die inibat Wolfgangus Guilielmus Phi-
lippi Ludovici Palatini Rheni Comitis
filius cum Principe lectissima Magda-
lena

Hist. Eccles. Tom. LV.

M

lena